

Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, Marc. 6. 18.

Παγγένεια dicitur à πᾶν omne & εἶω dico, loquor. Cicero 3. de Orat. appellat vocem quandam liberam atq; effrenatorem augendi causa: Communiter à Latinis dicitur Licentia cum nullo habito temporis, loci, vel personæ respectu, apud eos, quos vereri debeamus, liberio rem personam induimus, aut in commovefaciendo, aut objurgando, aut adulando. Seu, est Libertas loquendi cum liberius aliquandò loqui audemus, quàm verecundia patiatur. Sic Cic. pro Sylla: *Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus, erigite mentes aurésque vestras, & me de invidiosis rebus dicentem attendite.* Item pro Ligar. *Tamet, si vereor in bonam partem accipias, dicam tamen quod res est: nimis acer es, ne quid dicam durius: omnia jure summo persequeris.*)

Vbi CANON: Licentia quæ molesta est modicè usurpetur & prudenter, alioquin fiet in tempesta & interdum exitiabilis.

(*Hujus rei gratia adhibeatur. 1. Excusatio aliqua vel mitigatio: ut, ignoscite liberius dicenti, vel aequis animis si liberè verba fecero, accipiatis oro; vel quod pace tua dicam, vel pace tua dixisse velim, &c. item: Si quid fortè dictum à me videbitur asperius, id ut in optimam accipias partem vehementer oro. Nec verò dico ista, quasi de animo & fide tua dubitem, &c. 2. mutatio personæ, cum vel Prophetam vel Apostolum vel Christum ipsum liberius loquentem introducimus, vel absentis aut olim demortui vitia invehimur, ut puta Caini invidiam, Iudæ proditionem, &c. 3. Communicatio vitii, (si non sit enorme nimis) cum nostra persona: Quomodo Prophetæ & Apostoli se ipsos implicant: Omnes peccavimus: non est bonum in nobis à capite usque ad calcem, &c. Secus si quis plura quam professio aut vitæ status exegerit, licentiosè presumpserit, is petulans, dicax & temerarius habendus erit.)*

Exem-